

tres; neque solum (a) Reges, (b) sed etiam qui regnum ipsum incredibili, at maxime pia liberalitate patriae donaverint.

Tam clari vero parentes, cum nihil antiquius haberent, quam ut filium domesticis, hoc est sanctissimis praeceptis imbuerent, haud difficulter puerum, ad omnia summa natum, quique sive felicitate quadam, sive naturae bonitate rectam sponte viam ingrediebatur, ad suam consuetudinem, moremque deduxerunt. Ubi per aetatem licuit, praeceptorem ille nactus haud vulgarem, Bernardinum (c) Parthenium, qui non latinas modo sed graecas etiam literas egregie doceret, puerilibus in studiis non se pueriliter gerebat: immo vero usque adeo supra aequales adolescentes se se extulit, ut jam inde apud omnes magnam sui, nec illam sane dubiam, expectationem concitaret. (d) Erat enim celeri captu, expedita ratione, tenacique memoria ad prodigium stupendus, & elucebat ubique ingenium peracere, quodque caput est, gravitate quadam temperatum, & ad omne literarum genus bene, feliciterque natum; ut magister verba dumtaxat in promptu haberet, non verbera, magisque testis, & admirator, quam doctor existeret.

(e) Jam vero puram, & emendatam latini sermonis elegantiam imbibere rat,

ab Urbano VIII. anno 1623. & ab Innocentio XII. anno 1698. GEORGIUM, JOANNIS Ducis fratrem, qui patavinam ecclesiam summa cum laude moderatur.

(a) neque solum reges) Catharina Cornelia, Jacobi II. Cypriorum regis uxor fuit, parens vero Jacobi III. cui etiam immatura morte praerepto ex mariti testamento successit.

(b) Sed etiam qui regnum ... patriae donaverint.) Eadem Cypri regnum libere Venetae Reipublicae largita est. Legendus hac de re Petrus Bembo *Histor. Ven.* editionis nostrae pag. 17.

(c) praeceptorem ille nactus haud vulgarem, Bernardinum Parthenium) Cum Parthenius erudiendis ac probandis iis, qui cancellariae muneribus fungi debent, praefectus esset, Cancellariae magistrum vocamus, Joanni-Baptistae Rasario suffectus est, ut graecas literas Venetiis publice traderet. Constat ex Senatus consulto VI. kal. novemb. 1573. edito, exscriptumque habeo ex *Regesto* III. virum rei literariae, pag. 257. Natus erat Spilimbergi, pago haud ignobili in Foro-Julio. Edidit *Commentarios in Horatii Flacci carmina atque Epodos. Ven. apud Dom. Nicolinum* 1584. in. 4. item *de Imitatione poetica libros quinque*, primum italice *Ven. ap. Gab. Jolium* 1560. in. 4. deinde latine *Ven. ap. Lud. Avancium*, 1565. in. 4. Verum auctor *Vitae Fr. Pauli Veneti, ex ordine Servorum*, sub narrationis suae initium memorat, Maurocenum, una cum aliis pluribus ex Veneta nobilitate pueris, grammaticae ac rhetoricae rudimenta accepisse ab Ambrosio Morello, ejusdem Pauli avunculo. At Lollinus in *Mauroconi vita*, quam huic statim subjiciemus, narrat eum in literis graecis Parthenio doctore usum esse, latinis vero Baldo-Antonio Penna.

(d) Erat enim celeri captu, &c.) Qua ingenii vi polleret Andreas, quod dederit primorum studiorum specimen, narrat Aurelius Palazzolus, *Panegyrico in funere Andreae Mauroceni*, edito *Ven. typ. Andr. Muschii*, 1620. in. 4. „ Quae vero traderet praeceptor illius, ac moderator, ita excipiebat, ut non excipere, sed expromere videretur, quae dudum impressa, & inculpta laterent in animo. Quotidie fumebat aliquid, quod legeret, seponeret, stylo tra-

deret, &c. „
(e) Jam vero puram & emendatam latini sermonis elegantiam imbibere, &c.) Postquam humanioribus literis, quantum satis puero fuerat, operam dederat, ad philosophiam, adhuc in patria degens, se totum contulit. Testatur Palazzolus laudato *Panegyrico*. „ Cum musarum, poetarum, historicorum saltus peragrasset, & quasi accurata apis, atque sollicita collegisset, quidquid dulces videretur, ac suave ex illorum floribus delibandum, tandem in PHILOSOPHORUM penetralibus confedit & abdidit se. „ Narrat porro idem auctor, quantum in rebus philosophicis profecerit, cujus rei argumento fuisse memorat theses publice cum summa laude apud frequentissimam illustrium virorum coronam propugnatas. Id vero clarius etiam inde colligitur, quod anno 1586. XI. kal. jun. cum ad Senatum de publico philosophiae doctore legendo relatum esset, quod munus a prima harum scholarum institutione patricii hominibus semper delatum est, Andreae Mauroceni rationem habitam, cum magna ejus laude, in-

veni,